INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXVIII

A DIE XVI MENSIS APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Inest EDVARDI LVEBBERTI *prodromus in Pindari locum de Pelopis pueritia.*

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Theologiae Delphicae conversiones et periodi in dogmate de morte Bacchi illustratae. Periodus vetustissima, qua pii cultores dulcem luctum taciti sentiunt, caedem minutatim descriptam abominantur.

Theologia Delphica haudquaquam omni tempore una eademque fuit. Nam quamquam sacrorum Delphicorum custodes et antistites Hosii eo haud dubie nomine laude dignissumi sunt, quod religiose caverunt, ut quam maxume incorrupta semper ea sacra servarentur, utque ex eis colendis adorandisque verae pietatis fructus uberrimi prodirent, tamen id praestantissimi illi viri a se impetrare non potuerunt, ut opinionum de rebus divinis insignes illas, quae saeculorum decursu per universam Graeciam exortae sunt, mutationes, conversiones, metamorphoses prorsus a se sacrisque suis arcerent atque secluderent. Quippe omnes mortales ex communi aere spiritum trahunt atque una cum spiritu innumerabilium rerum contagium. Itaque viri illi sanctissimi servarunt ea, quae servari potuerunt: caerimonias, ritus, precandi et narrandi formulas; animam, quae illis, ne obrigescerent et torpescerent, infundi debuit, progressu temporum identidem secundum diversas illas cogitandi et sentiendi de rebus divinis periodos renovarunt et instaurarunt, non pia, quod aiunt, aliqua fraude vel astutia impulsi; sed ipsi nescii plerumque conditionis humanae atque id solum spectantes, ut optime sacris sibi commissis et desideriis colentium prospicerent. Ac de Apollinis quidem theologia Delphica, quae pro diverso saeculorum ingenio aliam semper atque aliam faciem induit, cuiusque dogmata magnas gravesque mutationes subierunt, aliquotiens iam a viris egregiis atque harum rerum peritissumis dictum est: ab O. Muellero in Prolegomenis p. 306 et Doriens. I^2, 323; Lud. Weniger, Religioese Seite der Pythien, Vratislaviae 1870, p. 21; Aug. Mommsen, Delphica p. 170 et 206; U. de Wilamowitz, Isyllos p. 75. Nunc, quod minus adhuc celebratum et

excultum est, sanctissimum illud et sacri horroris plenissimum mysterium de Morte Bacchi paullo accuratius contemplandum erit.

Eius quattuor in universum periodi sunt. Primum antiquissima quaedam, qua priscum et atrocem mythum de Zagreo a Titanibus in frusta lacerato et laniato sacerdotes Delphici mitioris et mansuetioris sensus patroni nimia sua austeritate et horrore liberarunt atque tanquam subtriste aliquod ἀπόρρητον, in quod haud fas sit altius inquirere et penetrare, occulta doctrina propagarunt. Hac igitur aetate huius religionis is mos fuit, ut nossent sane omnium piorum animi Bacchi mortem et scelus Titanum, nossent etiam infaustissimum illum numerum lacrimabilium frustorum, in quae sanctum Bacchi corpus discerptum esset (quattuordecim frusta in quattuordecim aris Athenis die festo Chytrorum, quae sacra Delphis Athenas allata sunt [Demosthenis Midiana § 52 et Welcker, Nachtrag zur Aeschyl. Tril. p. 210], colebantur; conf. Pollucem VIII, 18; Hesych. s. v. Γεραραί; Plutarch. de Isid. 18; et Aug. Mommsen Heortol. p. 358 et 367). Sed de his sanctissimis mysteriis, quae piorum cultorum animis dulci quodam dolore perfusa obversabantur, lingua venerabunda silebat, omninoque huius aetatis simplicitas et verecundia longe abhorrebat ab illis lenociniis et corruptae mentis blandimentis, quibus postea Orphici in depingendis eius caedis minutiis sibi placuerunt. Nam ei cum haud occulta voluptate in crudelibus illis Titanum epulis depingendis commorabantur, cum Bacchi membra partim verubus adfixa ad ignem assata, partim lebete adposito cocta versibus canerent. Proclus in Plat. Tim. III, 184^{d}: ἑπτὰ δὲ πάντα μέρη κούρου διεμοιρήσαντο; Clemens Alex. Protrept. II, 18 (vol. I p. 17 ed. Klotz): λέβητά τινα τρίποδι ἐπιθέντες καὶ τοῦ Διονύσου ἐμβαλόντες τὰ μέλη καθήψουν πρότερον· ἔπειτα ὀβελίσκοις περιπείραντες „ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο“. Proclus l. c.: μούνην γὰρ κραδίην νοερὴν λίπον (Lobeck, Agl. p. 557). Haec igitur omnia ab antiquissima theologia Delphica aliena sunt.

2. Periodus secunda: Fabularum mythicarum sceptica et ieiuna interpretatio, quae apud Graecos satis antiqua ab Euemero in systematis quasi formam redacta est, quomodo ad sacra Delphica aditum invenerit.

Secuta est altera quaedam theologiae Delphicae periodus, qua pragmatica illa sapientia Delphici quoque adyti portas pulsavit, quae omnibus miraculis mirum quantum infensa veteres fabulas, verae et augustae poesis sensu perfusas, ad naturales causas et volgare hominum commercium revocabat. Res apud Graecos pervetusta et pervolgata, deinde ab Euemero in systematis cuiusdam formam redacta hominum sui saeculi vel prudentissimorum studia iusto longe magis allexit et detinuit. Caussa erat, quod de numine deorum sublimem quandam imaginem animo conceperant, quam popularibus illis fabellis turbari et obscurari opinabantur. Itaque mirifice sibi sagaces et emunctae naris videbantur, cum id eis feliciter cessisset, ut priscos mythos, augustissimorum mysteriorum

plerumque nuntios, ex ieiunis quibusdam narratiunculis, quas imperitum volgus in maius accepisset, ortos explicarent. Tota res non potuit non populari religioni periculosissima esse; nam ipsorum deorum caelestium magna pars ad hominum, de mortalium gente inventis quibuslibet bene meritorum gradum detrudebatur. Nihilo minus, mirabile dictu, haec quoque philosophia aliquantisper inter sacra Delphica pedem collocavit. Sed primordia mali quam vetusta fuerint, facile demonstrari potest. Hoc enim modo iam Hecataeus Cerberum horribilem serpentem ad Taenarum promunturium fuissse „intellegentibus" prodiderat; Paus. III, 25, 5 (apud C. Mueller, Fragm. Hist. Gr. fragm. 346): Ἑκαταῖος μὲν ὁ Μιλήσιος λόγον εὗρεν εἰκότα, ὄφιν φήσας ἐπὶ Ταινάρῳ τραφῆναι δεινόν, κληθῆναι δὲ Ἅιδου κύνα, ὅτι ἔδει τὸν δηχθέντα τεθνάναι παραυτίκα ὑπὸ τοῦ ἰοῦ. conf. Lobeck, Agl. p. 987. Potissumus vero mirificae huius artis, cui nihil arduum videbatur, signifer inter claros prudentesque historicos Philochorus fuit, qui ipse quoque de Cerbero sententiam tulit; Syncellus, Chronogr. p. 299, 9 ed. Dindorf: Ἀϊδωνέως τοῦ Μολοσσῶν βασιλέως, ὃς εἶχε κύνα παμμεγέθη τὸν λεγόμενον Κέρβερον. Labyrinthum quoque omni miraculi sapore deterso admodum nitide et sobrie Philochorus hunc in modum definierat: castellum illud fuisse munitissimum; in eo Minotaurum qui dicatur militum aliquem apud Minoem praefectum nomine Taurum immitem et superbum. Plut. Theseo 16: Φιλόχορος δέ φησιν, οὐ ταῦτα συγχωρεῖν Κρῆτας, ἀλλὰ λέγειν, ὅτι φρουρὰ μὲν ἦν ὁ Λαβύρινθος οὐδὲν ἔχων κακὸν ἀλλ' ἢ τὸ μὴ διαφυγεῖν τοὺς φυλαττομένους, ἀγῶνα δὲ ὁ Μίνως ἐπ' Ἀνδρόγεῳ γυμνικὸν ἐποίει . . . ἐνίκα δὲ τοὺς προτέρους ἀγῶνας ὁ μέγιστον παρ' αὐτῷ δυνάμενος τότε καὶ στρατηγῶν ὄνομα Ταῦρος, ἀνὴρ οὐκ ἐπιεικὴς καὶ ἥμερος τὸν τρόπον. Triptolemum Philochorus non curru serpentibus volucribus vecto per aerem actum esse docuerat, sed, quod ad fidem longe credibilius sit, navi longa ad mortalium litora cum frumento adpulisse; Syncellus p. 299, 16: Ἐλευσῖνος πόλεως Κελεὸς ἐβασίλευσε, καθ' ὃν Τριπτόλεμος ἦν, ὅν φησιν ὁ Φιλόχορος μακρῷ πλοίῳ προσβαλόντα ταῖς πόλεσι τὸν σῖτον διδόναι, ὑπονοεῖσθαι δὲ πτερωτὸν ὄφιν εἶναι τὴν ναῦν· ἔχειν δὲ καί τι τοῦ σχήματος. Sed haec minora conamina sunt. Illud vero iam audacius et atheismo proxumum inventum fuit, quo idem Philochorus Proserpinam non a Plutone deo, sed a Molossorum rege Aïdoneo raptam pronuntiavit, ipsam Proserpinam haud dubie virginem e numero mortalium significans. Syncellus p. 299, 9: Κόρης ἁρπαγὴ Περσεφόνης ὑπὸ Ἀϊδωνέως τοῦ Μολοσσῶν βασιλέως, ὃς εἶχε κύνα παμμεγέθη τὸν λεγόμενον Κέρβερον, ᾧ τὸν Πειρίθουν ὕστερον διεχρήσατο παραγενόμενον ἐφ' ἁρπαγῇ τῆς γυναικὸς ἅμα Θησεῖ, et Eusebius Hieronymi p. 37 (ed. Schoene vol. II): *Fabula Proserpinae, quam rapuit Aidoneus i. e. Orcus rex Molossorum, cuius canis ingentis magnitudinis Cerberus nomine Perithoum devoravit, quia ad raptum uxoris cum Theseo venerat . . . Scribit Filochorus in Attidis libro secundo.*

3. Philochorus inter philosophiae Euemereae gubernatores, ubi de Bacchi apud Delphos morte et sepulcro exponit, haud occulto significat, hominem Bacchum fuisse post mortem ad divinos honores evectum. Theologiae Delphicae gravis quaedam ad tempus depravatio.

Haec nunc ea de caussa copiosius illustravimus, ut clarissimus Philochori de Bacchi morte et sepulcro locus recte aestimari possit, e quo id manifesto elucet, quantopere eius sectae philosophi triumpharint, cum eis id, ut unius ex dis „ immortalibus" alicubi mortem et sepulcrum digito monstrare possent, contigisset. Philochorus igitur secundo Atthidis libro narraverat, in Apollinis Delphici adyto Bacchi defuncti sepulcrum visentibus ostendi. In ea narratione haud occulte Bacchum „copiarum aliquem ducem" declarat et mortis caussam eam attulerat, quod proelio a Perseo victus Delphos saucius, ut videtur, confugisset. Syncellus p. 307, 6 (ed. Dind.): βάθρον δέ τι νομίζεται τοῖς ἀγνοοῦσι ὁ Διονύσου τάφος, στρατηγὸς δὲ δοκεῖ γενέσθαι, καὶ οὕτω γράφεται θηλύμορφος . . . διὰ τὸ μιξόθηλυν στρατὸν ὁπλίζειν· ὥπλιζε γὰρ σὺν τοῖς ἄρρεσι τὰς θηλείας, ὥς φησιν ὁ Φιλόχορος ἐν δευτέρῳ. Ex eodem fonte, Philochori Atthide, Eusebius Hieronymi haec tradit vol. II ed. Schoene p. 45: *Quidam his temporibus vindicant gesta Liberi patris et ea, quae de Indis Lycurgo Actaeone et Pentheo memorantur. Quomodo adversus Persem consistens occidatur in proelio ait Dinarchus poeta, non rhetor. Qui autem voluerit, poterit inspicere ipsius Liberi patris apud Delphos sepulcrum iuxta Apollinem aureum. Pingitur vero Liber muliebri et delicato corpore propter mulieres in suo exercitu militantes: nam pariter ad arma viris feminas alligabat, ut Filochorus loquitur in II.* De Perseo, qui Bacchum proelio devicerit, cognitu quoque dignus Cyrillus adversus Iulianum lib. X p. 341 (Cyrilli Alexandrini opera ed. Ioannes Aubertus vol. VI, Lutetiae 1638): Θαυμάζω δὲ ὅτι καίτοι προσκειμένης ἅπασιν εἰς ἀνάγνωσιν τῆς Ἑλληνικῆς ἱστορίας . . . νεκροὺς ἡμῖν ὀνειδίζει καὶ τάφους ὁ καὶ νεκροὺς ἔχων τοὺς προσκυνουμένους καὶ μνήματα τοὺς νεώς, ἐνσεσώρευνται γὰρ αὐτοῖς . . . ὁ γάρ τοι Δείναρχος ποιητὴς οὐκ ἄσημος ὢν τὰς Διονύσου πράξεις ἀφηγούμενος, ὅσα τε αὐτῷ πεπόνηται περὶ τῶν Ἰνδῶν καὶ μὴν καὶ Ἀκταίωνα καὶ Λυκοῦργον ὅπως εἴη πεφονευκώς, εὖ μάλα διειρηκώς, ἀνῃρῆσθαι καὶ αὐτὸν ὑπὸ Περσέως διατείνεται καὶ κεκηδεῦσθαί γε μὴν ἐν Δελφοῖς παρὰ τὸν χρυσοῦν καλούμενον Ἀπόλλωνα. Ex Philochoro Eustathius quoque sua mutuatus videtur, Iliad. Ξ, 330 p. 989, 20 ed. Rom.: ὅτι τὸν τοιοῦτον Περσέα πλείω Ἡρακλέους ἀγαθὰ κατεργασάμενον οὐ τυχεῖν δόξης φασιν, διότι Διόνυσον ἀνελὼν εἴς τινα λίμνην ἔβαλεν. conf. Schol. Iliad. Ξ, 319; Ioann. Malalas ed. Dindorf, Bonnae 1831 p. 45; Nonnus XLVII, 470—742; Augustin. Civ. Dei XVIII, 13. Itaque Philochoro Bacchus priscus aliquis copiarum dux visus est, idque ille — o tempora, o mores — nequaquam tum nesciis vel improbantibus sacerdotibus Delphicis scripsit, sed ipsis similia docentibus, ut infra demonstrabitur.

4. Periodus tertia: Theologia Delphica Orphicorum placitis inter sacra receptis sursum rursus escendit. Sacrum drama de morte Bacchi ut pignus et imago animarum immortalitatis adoratur.

Verum enim vero progrediente tempore homines intellegentissumi, quo haec evasura, immo eruptura essent, adprime senserunt; itaque retro vela verterunt. Atque omnino in universa tunc Graecia, mysteriorum potissumum merito et auctoritate hominum animi et ingenia altiore quodam rursus rerum divinarum sensu et desiderio imbuta sunt. Itaque tertia theologiae Delphicae periodus secuta est, qua Orphicorum potissumum dogmata et placita sacris apud Delphos traditis subiciebantur. Orphicorum vero de rebus divinis opiniones sublimi et sursum trahenti spiritu perfusas esse nemo negabit. Unum fuit, in quo nervos illi omnes intenderant: ut resurgentem e morte vitam, deorum potentissimorum et humani generis amantissimorum ope per omnes mortis terrores servatam quam certissimam piorum cultorum spei et desiderio redderent. Nam animam humanam immortalem esse et per multas migrationes ad caelum et deorum vitam aeternam et beatam adspirare posse, firmissime theologis illis persuasum erat. Hunc vero sensum Bacchicis potissumum sacris inesse volebant; ea huius dulcissimae spei pignora praebere; universum enim illud drama sanctissimum, in quo Zagreus a Titanibus discerpatur, ut nihil praeter cor relinquatur, deinde ex morte rursus resurgat et in vanno illa mystica puerulus (Λικνίτης) a Bacchis Thyiadibus inveniatur, quid aliud illud esse, quam caeleste specimen et documentum eorum, quae animae mortales, divinum ducem suum secutae et 'eius ope fretae, patiantur! Sub hac igitur imagine et symbolo beatissumum mysterium latere. Extat de hac re luculentum Plutarchi testimonium, unde simul adparet, hanc interpretationem satis antiquam fuisse; verum in theologiam Delphicam non tam pridem recepta est, immo post illud Euemerismi demum haud ita felix deverticulum, quo theologi Delphici edocti erant, quanta omnium rerum ruina minaretur, si rupto illo, quod cum avita et hereditaria sapientia intercedit, vinculo ratio humana de rebus divinis suo Marte philosophari conetur. Plutarchi locus admodum cognitu dignus hic est, de Esu carn. I, 7, 5: καίτοι δοκεῖ παλαιότερος οὗτος ὁ λόγος εἶναι· τὰ γὰρ δὴ περὶ τὸν Διόνυσον μεμυθευμένα πάθη τοῦ διαμελισμοῦ, καὶ τὰ Τιτάνων ἐπ' αὐτὸν τολμήματα γευσαμένων τοῦ φόνου κολάσεις τε τούτων καὶ κεραυνώσεις ἀνηγμένος ἐστὶ μῦθος εἰς τὴν παλιγγενεσίαν. τὸ γὰρ ἐν ἡμῖν ἄλογον καὶ ἄτακτον καὶ βίαιον οὐ θεῖον, ἀλλὰ δαιμονικὸν, οἱ παλαιοὶ Τιτᾶνας ὠνόμασαν, καὶ τοῦτό ἐστι τοῦ κολαζομένου καὶ δίκην διδόντος. Haec placita ex intimo recessu theologiae Orphicae petita sunt; eis inter dogmata sacrorum suorum receptis optime haud dubie pro re nata sacerdotes Delphici religionibus, quarum tutores erant, conservandis prospexerunt.

5. Quarta periodus: Theologia Delphica ad conversa paullulum hominum studia cursum accommodans non tam pectoris humani aenigmata, quam mundana potius speculatur. Bacchi corpus in frusta discerptum est principium aeterni Unius in plura i. e. mundum dissolutum.

Sed ut sunt res hominum variabiles et instabiles alia tempora alios mores, alia studia, alia denique in rebus divinis contemplandis desideria et iudicia attulerunt. Itaque quarta quaedam periodus theologiae Delphicae exorta est, cui hoc proprium fuit, non ut homines in sinum suum et pectus meticulosi et anxii introspicientes animarum saluti et resurgenti post mortem vitae consulerent, sed ut altiore spiritu et sui confidentia sumpta ad gravissima et celsissima problemata animum adicerent et audacibus quaestionibus volvendis temptarent, quid de dei optimi maxumi natura, de mundi origine, de principio unius et rerum infinita multitudine cum aliqua probabilitate erui posset. Florebat igitur illa philosophia, quae rerum naturae caussas investigandas sibi proponit, et quemadmodum in superiore periodo hominibus nihil quidquam utilius factu visum erat, quam ut se ipse quisque pernosceret, ita in hac quarta periodo, mutato hominum gustu, non tam homo, quam mundus contemplatione dignus videbatur. Iam vero haec quoque philosophandi ratio, quae primo adspectu longissime ab prisca illa et austera de Baccho a Titanibus discerpto fabula abesse videtur, ingeniosissimorum hominum eximio acumine praeclare cum ea copulata et consociata est. Accedebat quod philosophiae decretis mirifica quaedam confirmatio accedere videbatur, cum prisci iam illi et casci Graecorum populorum parentes, sapientiae originibus propiores, illa imagine Bacchi ficta et procusa aliquid de totius mundi fabrica suspicati et odorati viderentur. Erat autem huius inventi haec summa: quemadmodum in universo procreando et condendo aeternum illud principium, quod semper unum est, in infinitam rerum naturae copiam et multitudinem discedat: ita in religionibus Delphicis Apollinem semper iuvenem, semper unum eundemque videri; Bacchum in frusta discerptum imaginem esse rerum corporearum et naturae in infinitam copiam divisae atque dispersae.

Extat de hac quoque philosophiae cum sacris Delphicis consociatione et copulatione eximius Plutarchi locus, e quo hanc philosophiam satis antiquam fuisse apparet, inter Delphorum vero sacra dogmata eam Plutarchi demum aetate receptam et a sacerdotibus quasi civitate donatam esse. Plutarchus de εἶ apud Delphos 9: Ἀκούομεν οὖν τῶν θεολόγων τὰ μὲν ἐν ποιήμασι, τὰ δ' ἄνευ μέτρου λεγόντων καὶ ὑμνοῦντων, ὡς ἄφθαρτος ὁ θεὸς καὶ ἀΐδιος πεφυκὼς ὑπὸ δή τινος εἱμαρμένης γνώμης καὶ λόγου μεταβολαῖς ἑαυτοῦ χρώμενος, ἄλλοτε μὲν εἰς πῦρ ἀνῆψε τὴν φύσιν πάντα ὁμοιώσας πᾶσιν, ἄλλοτε δὲ παντοδαπὸς ἔν τε μορφαῖς καὶ ἐν πάθεσι καὶ δυνάμεσι διαφόροις γιγνόμενος, ὡς γίγνεται νῦν, κόσμος ὀνομάζεται τῷ γνωριμωτάτῳ τῶν ὀνομάτων. Itaque eius, quod Unum vocatur, natura ignis mundanus est, quo omnia omnibus aequantur; hoc Unum cum in rerum copiam digreditur, mundus oritur. Docent

hoc idem egregio et luculento consensu sacra Delphica, in quibus Apollo unum illud et ignis est, Bacchus plura et mundus. Plutarchus ibidem: κρυπτόμενοι δὲ τοὺς πολλοὺς οἱ σοφώτεροι τὴν μὲν εἰς πῦρ μεταβολὴν Ἀπόλλωνά τε τῇ μονώσει, Φοῖβόν τε τῷ καθαρῷ καὶ ἀμιάντῳ καλοῦσιν. Τῆς δ' εἰς πνεύματα καὶ ὕδωρ καὶ γῆν καὶ ἄστρα καὶ φυτῶν ζῴων τε γενέσεις τροπῆς αὐτοῦ καὶ διακοσμήσεως τὸ μὲν πάθημα καὶ τὴν μεταβολὴν διασπασμόν τινα καὶ διαμελισμὸν αἰνίττονται· Διόνυσον δὲ καὶ Ζαγρέα καὶ Νυκτέλιον καὶ Ἰσοδαίτην αὐτὸν ὀνομάζουσιν. Bacchus igitur — atque eam sublimem plane et dulcissimam imaginem esse confitendum est — Bacchus in membra dispersus et laniatus hic mundus noster est, qui cum illud olim unum fuisset, nunc in fragmenta innumerabilia dissolutus semper unius illius memor est: fratris sui. Hanc diversam Apollinis et Bacchi naturam copiosius etiam Plutarchus persequitur ibid.: ἀγήρω δὲ τοῦτον καὶ ἀεὶ νέον, ἐκεῖνον δὲ πολυειδῆ καὶ πολύμορφον ἐν γραφαῖς καὶ πλάσμασι δημιουργοῦσιν.

6. Theologiae Delphicae conversiones nunquam sine gravi lucta et simultate transactas esse. Pindari praecipuae in eiusmodi certaminibus partes. Pindarus fabulam de Pelope puero dissecto in frusta, quae dii immortales epulati sint, gravi censura notat.

Perlustravimus et comitati sumus permagnis sane passibus theologiae Delphicae fata a primis horridisque initiis, quibus naturae rerum florentis praematura mors sub illa pueri divini, crudeli caede absumpti, imagine depingitur, usque ad cultissimam illam philosophiam, cui Bacchus discerptus mundus est corporeus. Magnus sane animorum, summa aenigmata volventium, labor hoc cursu continetur; Delphicos vero sacerdotes semper ad eam curam intentos vidimus, ut dogmatum illum praestantissimum thesaurum integrum et intemeratum successoribus traderent. Sed cum duae res, natura sua plane contrariae, sacerdotibus Delphicis consociandae essent: primum ut antiqua fidissume conservarent, deinde ut cum progredientibus et subinde mutatis Graeciae populorum studiis theologiam suam conciliarent, fieri non potuit, quin gravissuma interdum certamina orirentur, nonnullis e sacrorum custodum collegio antiquitati, nonnullis novae luci patrocinantibus. Quae certamina tanto acrius exarsisse necesse est, quanto plerumque tenaciores in sanctissimis pectoris thesauris defendendis mortales esse solent. In hisce certaminibus Pindarum, ubi fors ita tulisset, magnas partes acturum fuisse, vel sine testimonio facile crederemus. Atqui miro casu factum est, ut re vera talis alicuius contentionis vestigia ad nos pervenirent, in qua Pindarus theologiam Delphicam traditam et avitam contra eorum conatus, qui Orphicorum placitorum dulcedine capti ad eorum normam dogmata Delphica emendata cupiebant, strenuissime defendit. Res admodum gravis et cognitu omnino dignissuma est cum propter ipsum Pindarum, nam egregiam aliquam ex pharetra Pindarica sagittam in hac pugna admirari licebit, tum inprimis ad theologiae Delphicae historiam illustrandam.

Extat locus apud Pindarum multorum eruditorum cura celebratus in carmine eximio Olymp. I, quo verbis gravissumis et ponderosissimis in eos poeta invehitur, qui de dis immortalibus indigna et turpia temere et ludibundi narrent. Profecto, ait, qui aeternos mundi rectores edaces, ventri deditos, sceleribus infectos fingant, eis id nequaquam impune futurum; Ol. I, 53: ἐμοὶ δ' ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν' εἰπεῖν. ἀφίσταμαι. ‖ ἀκέρδεια λέλογχεν θαμινὰ κακαγόρους. Huius gravissimi dicti inculcandi hanc in carminis compositione sibi Pindarus occasionem paravit. Describuntur a poeta lautissimae et pulcherrimae epulae, quibus Tantalus olim, Pelopis pater, in urbe Sipylo immortalium deorum splendidissimum chorum et coetum exceperit, ut quoniam ab illis saepenumero hospitio honoratus esset, par pari referret; Ol. I, 37: ἀντία προτέρων φθέγξομαι, ‖ ὁπότ' ἐκάλεσε πατὴρ τὸν εὐνομώτατον ἐς ἔρανον φίλαν τε Σίπυλον, ‖ ἀμοιβαῖα θεοῖσι δεῖπνα παρέχων . . . In eis igitur epulis formosissumum Tantali filium Pelopem pocula distribuentem Neptunus conspexerat, conspectum iuvenilis floris decore et praestantia captus currui raptim imposuerat et velocissimis equis in Olympum ad simile poculorum ministerium secum abduxerat; v. 41: τότ' Ἀγλαοτρίαιναν ἁρπάσαι ‖ δαμέντα φρένας ἱμέρῳ χρυσέαισιν ἀν' ἵπποις ‖ ὕπατον εὐρυτίμου ποτὶ δῶμα Διὸς μεταβᾶσαι, ‖ ἔνθα δευτέρῳ χρόνῳ ‖ ἦλθε καὶ Γανυμήδης ‖ Ζηνὶ τωὔτ' ἐπὶ χρέος. Iam igitur cum sollemnibus epulis finitis puer parentibus dilectissimus frustra quaesitus nusquam comparuisset, ut est volgus hominum maledicum et pronum ad turpia fingenda, Sipyleam vicinitatem circa habitantem rumores in aures sibi insusurrasse: Pelopem hercle puerum in frusta dissectum, carnes vero, ut in perpetuum absconderentur, fervente aqua coctas et in cena dis immortalibus appositas esse, qui — facinus infandum! — humanis frustis famem satiarint; v. 47: ὡς δ' ἄφαντος ἔπελες οὐδὲ ματρὶ πολλὰ μαιόμενοι φῶτες ἄγαγον, ‖ ἔννεπε κρυφᾷ τις αὐτίκα φθονερῶν γειτόνων, ‖ ὕδατος ὅτι σε πυρὶ ζέοισαν εἰς ἀκμὰν ‖ μαχαίρᾳ τάμον κατὰ μέλη, ‖ τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύματα κρεῶν ‖ σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

7. Explicatur locus Pindari conclamatus de Pelope puero comeso Ol. I, 51: τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύματα (i. e. γεύματα vel ζεύματα, Hesych.) κρεῶν ‖ σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

Plurimum interest, ut hi versus recte et legantur et intellegantur; summa vero dubitatio esse solet in versu 51, ubi plurimi sane codices habent: ἀμφὶ δεύτατα, quam lectionem copiose scholiastae quoque explicant, idque ipsum haud dubie Athenaeus XIV, 641[c] legit; contra pauci codices eique perboni: ἀμφὶ δεύματα, quo ducit scholion quoque ex vetustiore farragine apud Boeckhium in Scholiis ad Pindarum p. 34, v. 79: δεύτατα ἢ τὰ ἔσχατα ἢ τὰ βεβρεγμένα αἵματι. Etenim veteres lexicographi constanti consuetudine vocabulo βρέχεσθαι explicant vocem δεύεσθαι. Hesychius: δεύεσθαι· βρέχεσθαι et δευθέντα· βραχέντα et δευόμενος· βρεχόμενος. Iam qui δεύτατα scribunt de secundis hoc mensis intellectum volunt; Athenaeus l. s.: ὅτι γὰρ ἦσαν καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις αἱ δεύτεραι τράπεζαι

πολυτελῶς μεμεριμνημέναι παρίστησι Πίνδαρος ἐν Ὀλυμπιονίκαις περὶ τῆς Πέλοπος κρεουργίας διηγούμενος· τραπέζαισι δ' ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν || σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον. Qui δεύματα pro vera lectione habent, ut Boeckhius in Notis Criticis ad Pind. p. 348, de iusculo id accipiunt, quo cibi condiantur et superfundantur, similiter atque κατάχυσμα, quo Philonides utitur apud Athenaeum II. 67[d]: τὸ γὰρ κατάχυσμ' αὐτοῖσιν ὄξος οὐκ ἔχει. Sed, quod tot virorum eruditissimorum et mihi semper summe colendorum pace dixerim, critici a recta via longe aberrarunt, cum quid dixerit Pindarus promptissumum inventu sit. Lectio δεύματα κρεῶν haud dubie vera et recta est, sed alio sensu atque illi acceperunt. Δεύματα vox dialecti tantum discrimine differt a γεύματα i. e. offae. Hesychius habet: δεύάσθαι· γεύσασθαι. Media vero inter has unius verbi duas formas diversas, qua ambae coniunguntur, ζεύσασθαι est, quod servavit idem Hesychius: ζεύσασθαι· γεύσασθαι. In Etymol. Magn. p. 408, 39: ζεύω τὸ γεύω, καὶ ζεύσασθαι γεύσασθαι. Exposuit de earum litterarum in dialectis permutatione, verum loci, quod dolendum, Pindarici immemor, vir nunquam interiturae memoriae Georgius Curtius in Etymol. Gr. (1869) p. 443. 447. Pindarus igitur maledicos illos rumorum fabricatores, qui Pelopem puerum a dis immortalibus comesum finxerant, haec dicentes facit: Deos Olympicos seu errore seu facinore nefando carnium Pelopis offas circa mensas (sunt autem separatae convivarum mensae, more Homerico, Od. ρ, 333; 447; vide Fennell in editione Pindari, Cantabr. 1879) distributas epulatos esse: τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύματα κρεῶν || σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

8. Pindari sanctam illam iram, qua in fabulam de Peleo mactato, cocto, absumpto invehitur, luculento documento esse, Pindari tempore fabulam illi gemellam de Baccho a Titanibus verubus affixo, assato, comeso nondum in sacrorum canonem Delphis receptam fuisse. Fortasse ingruentem reppulit.

Iam haec omnia si reputemus, unum clarissimum certissimumque est: Fabulam illam de Baccho puero a Titanibus discerpto deque abominandis Titanum epulis, quibus Bacchi carnes in lebete coctas et praeparatas comederunt, hanc dico fabulam, in qua minutatim depingenda Orphici duce Onomacrito tantopere sibi placuerunt, Delphis Pindari temporibus nondum in dogmatum ordinem et canonem receptam fuisse. Nam eodem calculo, quo Pindarus fabulam de Thyesteis illis Pelopis epulis damnavit, Titanum quoque atrocem illam cenam, qua Bacchi membris se ingurgitarunt, ut impiam et deorum nomine indignam proscripsisset. Nam audiamus modo testes, qui quemadmodum in Orphei carmine: Διονύσου ἀφανισμός (conf. Orphica ed. Eugenius Abel, Lipsiae 1885 p. 224) Titanes in illis crudelissimis epulis se gesserint, tradiderunt; omnia ibi simillima et gemella plane sunt, eorum, quae de Pelope mactato cocto comeso apud Pindarum leguntur. Firmicus Maternus de Errore prof. rel. c. 6 p. 8 ed. Bursian Lips. 1856: *Illic interceptus* (sc. Bacchus) *trucidatur et ut nullum posset necis inveniri vestigium, particulatim membra concisa satellitum sibi dividit turba. Tunc ut huic facinori aliud facinus adderetur, quia*

vehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta variis generibus pueri membra consumunt, ut humani cadaveris inauditis usque in illum diem epulis vescerentur. Arnobius V, 19: *Sed et illa desistimus Bacchanalia altera praedicare: in quibus arcana et tacenda res proditur insinuaturque sacratis: ut occupatus puerilibus ludicris distractus ab Titanibus Liber sit: ut ab iisdem membratim sectus atque in ollulas coniectus ut coqueretur: quemadmodum Iuppiter suavitate odoris illectus invocatus advolaverit ad prandium, compertaque re gravi grassatores obruerit fulmine atque in imas Tartari praecipitaverit sedes. Cuius rei testimonium argumentumque fortunae suis prodidit in carminibus vates Thracius: talos, speculum, turbines, volubiles rotulas et teretes pilas et virginibus aurea sumpta ab Hesperidibus mala.* Haec omnia quid in hac nostra quaestione doceant clarum, opinor, est. Si eo tempore, quo Pindarus carmen Ol. I composuit, Orphicorum illae fabulae, quibus Titanum Zagrei reliquias epulantium facinus narratum erat, iam inter Delphicorum sacrorum dogmata legitima et sollemnia recepta fuissent (id quod aliquot saeculis post factum sane videmus), Pindarus tam gravi censura fabulam de Pelope puero notare et ut plane indignam hominum cordatorum plausu repudiare non potuit, quin eodem iudicio dogmata Delphica conculcaret; hanc vero eum culpam in se admissurum fuisse, prorsus incredibile est. Accedit quod Titanes, quamquam ad vim et rebellionem proni volgo fingebantur, tamen haud minus, quam dei Olympii μάκαρες θεοί vocari et celebrari solent; ut exempli caussa apud Apollon. Rhodium I, 507, ubi de Saturno et Rhea: οἳ δὲ τέως μακάρεσσι θεοῖς Τιτῆσιν ἄνασσον. Sequitur igitur, ut Pindari certe temporibus eam fabulae de morte Bacchi formam, quae iam pridem ante ab Orphicis, Onomacrito potissumum mystagogo, celebrata erat, a theologia Delphica procul etiamtunc afuisse statuendum sit.

9. Orphicorum sublimia effata de animarum caelesti quondam vita, descensu in terram et immortalitate Pindari quoque magnopere plausum tulisse.

Sed fortasse hic locus tanto fervore a Pindaro scriptus etiam plura nos docere potest atque eius ductu altius in sacrarum rerum eius temporis historiam penetrare licebit. Nam Pindarus cum illam Pelopis pueri mactati imaginem ex omnium piorum et deos reverentium mente et cogitatione procul relegandam censet, haudquaquam profecto nescio quem hominum incultissimorum coetum spectavit, qui ubi gentium inveniretur, difficillimum ipsi dictu futurum erat. Immo adversarios certos et praesentissimos notavit, minume illos incultos et rudes, sed cultissimos, rerum vero divinarum studiosissumos, qui universam vitam in meditandis celsissimis problematis consumerent: Orphicos. Etenim eorum theologia, mirum dictu, tanquam Chimaera Homerica πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, insignem quandam dogmatum pulcherrimorum et vere sublimium cum aliis quibusdam pravis ac paene dixerim absurdis et maxume indecoris consociationem ostendit. Velut quid pulchrius est, quam placitum illud: animas nostras propter peccata in caelesti olim et beatissima vita admissa in hanc vitam terrestrem ea conditione de-

cussas esse, ut poenas luant hisque cruciatibus aliquando purgatae ab illa primigenia culpa convalescant. Cicero in Hortensio, fragm. 90 ed. Orelli et Baiter, vol. IV, Turici 1861, pag. 986: *Ut interdum veteres illi sive vates sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur.* Iamblichus, Protrept. VIII p. 134 ed. Kiessling: τοῦτο γὰρ θεῖον οἱ ἀρχαιότεροι λέγουσι, τὸ φάναι διδόναι τὴν ψυχὴν τιμωρίαν καὶ ζῆν ἡμᾶς ἐπὶ κολάσει μεγάλων τινῶν ἁμαρτημάτων.

Neque haec tam graviter commissa unius vitae spatiolo absolvi posse arbitrabantur; immo post mortem in alia semper atque alia corpora animabus migrandum esse; donec illo nascendi et moriendi circulo aliquotiens percurso id consequantur, ut ex eorum deorum, quibus id muneris Iuppiter mandarit, coetu aliquem errabundae illae in terris hospitae exorent eiusque patrocinio fretae ad vitam caelestem, aeternam, beatam tandem revertantur. In eorum vero numinum numero potissumum sunt Bacchus et Proserpina. Simplicius in Aristot. de Caelo II p. 168 ed. Karsten (conf. Abel, Orphica p. 246): ἐνδεθῆναι δὲ ὑπὸ τοῦ τὸ κατ' ἀξίαν πᾶσιν ἀφορίζοντος δημιουργοῦ θεοῦ ἐν τῷ τῆς εἱμαρμένης καὶ γενέσεως τροχῷ, οὗπερ ἀδύνατον ἀπαλλαγῆναι κατὰ τὸν Ὀρφέα μὴ τοὺς θεοὺς ἐκείνους ἱλεωσάμενον, οἷς ἐπέταξεν ὁ Ζεὺς "κύκλου τ' ἀλλῦσαι καὶ ἀναψῦξαι κακότητος" τὰς ἀνθρωπίνας ψυχάς. Proclus ad Tim. V p. 330[b]: πᾶσαν δὲ τὴν ζωὴν εἰς τὴν εὐδαίμονα περιάγουσα (ἡ ψυχὴ) ζωὴν ἀπὸ τῆς περὶ τὴν γένεσιν πλάνης, ἧς καὶ οἱ παρ' Ὀρφεῖ τῷ Διονύσῳ καὶ τῇ Κόρῃ τελούμενοι τυχεῖν εὔχονται· "κύκλου τ' αὖ λῆξαι καὶ ἀναπνεῦσαι κακότητος"; cf. Abel. Orphica p. 246. Et haec quidem pulcherrima placita, quibus universa nostra vita vel in ipso mortis articulo dulcissima nihilominus spe munita et nutrita videri debet, Pindari quoque plausum magnopere tulisse, non est cur dubitemus. Quippe ipse palingenesiam egregiis verbis tangit in laudibus mysteriorum Eleusiniorum apud Clement. Alex. Strom. III, §. 17 p. 221 ed. Klotz: Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν κεῖν' εἶσ' ὑπὸ χθόν'· οἶδε μὲν βίου τελευτάν. || οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν (Bergk, Poet. Lyr. I[4], p. 429).

10. Apud Orphicos rebus celsis et sublimibus saepe taetra et absurda admisceri, quippe qui propter nimiam animi mollitiem luctu et dolore in rebus divinis pro deliciis abutantur. Hanc theologiam in seriis ludibundam Pindarum acerrime a Delphis procul habendam curasse.

Sed Orphici eo errore, quo saepius hercle homines dis toto pectore devotos et sanctissumos transversos agi videmus, ut rebus natura sua sublimibus et grandibus ad pium quendam lusum abutantur, eo dico errore capti Orphici praestantissimis theologiae suae principiis dissimillima emblemata admiscuerunt. Cum enim pervetustum illud et austerum dogma de morte Bacchi tale profecto sit, ut in eo cogitando et mente nostra volvendo piorum hominum animos exhorrescere et altissimo luctu perfundi oporteat, Orphei sectatores crudelissimum facinus, quo puer divinus laniatus est, quasi ad delicias factum

acceperunt, quo tanquam aliquo pabulo dulciculum dolorem, in quo mollis ingenii homines tantopere sibi placent, ex integro semper nutrirent. Dolor illis voluptatis instar erat. Hoc illud vitium est; inde illud explicandum, quod in Orphico carmine omnia audaci et luxurianti penicillo pinguntur: Titanes Bacchi cruore se ingurgitantes, reliquiae pueri verubus adfixae, denique reliqua, quae lingua vel calamus minutatim enarrare dedignatur. Haec profecto Pindarum in iram adegerunt. Cum enim universa Orphicorum theologia caelum spiret, istis imaginibus ex carnificina sumptis id profecto effecerunt, ut Bellerophontis instar ex sublimi ad astra cursu in terram necopinato decutiamur. Accedit ad Pindari iustissimam iram explicandam quod certis indiciis demonstrari potest, quis primus sensuum illas illecebras et profanam de sanctissimis mysteriis loquacitatem in Orphicorum theologiam et sacra invexerit. Fuit is Onomacritus, homo a pia scilicet fraude haudquaquam abhorrens, qui ut imperitae multitudinis gustui blandiretur et ut eos sectae suae adscriberet, de quibus dictum est: Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι, fabulam de Titanum famosissimis epulis luculento carmine enarravit. Pausanias loco notissimo claris verbis Onomacritum eius criminis insimulat; Paus. VIII, 37, 5: Παρὰ δὲ Ὁμήρου Ὀνομάκριτος παραλαβὼν τῶν Τιτάνων τὸ ὄνομα Διονύσῳ τε συνέθηκεν ὄργια, καὶ εἶναι τοὺς Τιτᾶνας τῷ Διονύσῳ τῶν παθημάτων ἐποίησεν αὐτουργούς.

His omnibus perpensis iam facile erit ad divinandum, quid Pindarus inserto illo de Pelope puero deverticulo voluerit et quo tetenderit. Atque tanto intentius hoc animadverti velim, quia inde luculenter apparet, quibusnam de rebus Pindarus cum Hierone sive voce, sive per internuntios, seu denique epistularum commercio sermones habere solitus sit. Haudquaquam profecto de aulicarum rerum quotidianis nugis et quisquiliis, sed de summis omnino rerum humanarum et divinarum problematis, sicut germanum vatem cum rege amico confabulari decet. Pindarus igitur sanctissimam Bacchi patientis et morientis imaginem toto pectore conceperat. Eandem imaginem plenam simplicitatis et maiestatis, sine fuco et calamistris usque ad id tempus haud dubie Delphici sacrorum custodes cum piorum cultorum turba adorabant. Sed ut sunt mortalium animi ad nova atque speciosa proni et infirmi, in ipso sacerdotum Delphicorum coetu et collegio unus fortasse et alter multiverant de dogmatum Orphicorum in dies per Graeciam crescente plausu et favore apud volgum; quantaque profecto ad Delphica sacra visenda peregrinantium multitudo sperari inde posset. Accedit quod ipsi Orphici ad Delphos, religionum Graeciae arcem, cupidissumis votis adspirabant. Sensit Pindarus quantum periculum thesauris Delphicis sanctissimis, non illis aureis argenteisve, sed illis animorum, quos non rodit robigo, immineret. Itaque consurrexit, fulgur suum expediit, hostes infra muros et extra muros disiecit. Itaque egregio eius interventu unum fere et alterum saeculum theologia Orphica a Delphis procul habita est.

11. Sacra in memoriam Mortis Bacchi quomodo priscis temporibus Delphis et Athenis peracta sint. In eis sollemnibus non planctu et voce lugubri, sed solis caerimoniis argumentum expressum esse. Bacchus cur tempore verno mortuus credatur.

Sed video, quid desiderari, quid quaeri possit. Etenim eis omnibus, quae disputata a nobis sunt, consideratis quis non interroget: Sint haec ut dicis; verum qualis tandem Pindari tempore, hoc est prima illa periodo, sacra illa fabula Delphica de morte Bacchi fuit, quae omnium semper cultorum animis mentibusque praesentissima esset, quam nemo verbo eloqui auderet, quin nefas admitteret? Ad hanc quaestionem ut plene perspicueque respondere possimus, potissumum eximio viri de harum rerum cognitione maxume meriti, *Augusti Mommsen*, acumine et doctrina factum est, qui in opere pulcherrimo Heortologie, Lips. 1864, p. 69—71 et p. 356—372 de hoc sacrarum antiquitatum loco exposuit; ei vero argumentis denuo perpensis in rerum omnino summa prorsus adsensus est vir subtilissimi iudicii, *Otto Ribbeck* in: Anfaenge und Entwicklung des Dionysoscultus in Attica, Kiliae 1869, p. 20—22. Athenienses igitur suasu et monitu Delphici oraculi Bacchi sacra in urbem suam arcessiverunt. Extat ipsum oraculum, quo hoc facere iubentur; Demosthenes adv. Midiam § 52: ἀνάγνωθι δέ μοι λαβὼν αὐτὰς τὰς μαντείας. Αὐδῶ Ἐρεχθείδαισιν, ὅσοι Πανδίονος ἄστυ || ναίετε καὶ πατρίοισι νόμοις ἰθύνεθ' ἑορτάς, || μεμνῆσθαι Βάκχοιο, καὶ εὐρυχόρους κατ' ἀγυιάς || ἱστάναι ὡραίων Βρομίῳ χάριν ἄμμιγα πάντας, || καὶ κνισᾶν βωμοῖσι κάρη στεφάνοις πυκάσαντας; conf. Welcker, Nachtrag zur Aeschyl. Tril. p. 210. Antiquissima vero apud Athenienses sacra Bacchica Anthesteria fuisse, teste optimo Thucydide constat II, 15: τὸ ἐν λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι, ὥσπερ οἱ ἀπ' Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν. Cum Bacchi cultu, qui deo Delphico auctore Athenis stabilitus est, arctissumo vinculo dogma de Morte Bacchi coniunctum erat. Id vero mysterii instar Athenis servabatur; nam in omnibus istis Anthesteriorum sacris, quatenus quidem nobis innotuerunt, ne vocabulum quidem mortis unquam exaudiebatur, ac videntur prisci illi Bacchi cultores tanquam nefas aliquod illam divini pueri passionum et caedis mentionem, quae quidem voce et ore fieret, evitasse. At nihilo minus omnium illorum in Choum et Chytrorum diebus festis rituum et caerimoniarum argumentum aliud nullum est, quam mors Bacchi. Nulli sane in eis planctus et querellae sunt, nullae lamentationes vel cantus lugubres, sed ea, quae aguntur, quae more sollemni a sacerdotibus et piis cultoribus perpetrantur, tacita voce sanctissimum illud drama illustrant. Omnia enim talem speciem habent, ut ei, qui vita functus sit, iusta fieri et inferias sacrari manifestum sit. Ac primum quidem iam hoc magnum indicium est, quod tempore verno eae caerimoniae fiunt. Bacchus enim veris tempore mortuus creditur, quemadmodum tragoedia ostendit, quae ipsa quoque ad ver pertinet. Nam tum, cum natura rerum reviviscit et tellus novo virentium agrorum vestitu resurgit, deus pulcherrimus ad inferos descendit. Eum mythum ex cyclo trieterico rerum Bacchi explicari debere, notum est.

12. Feriarum Atticarum Choum et Chytrorum mutae caerimoniae eiusmodi sunt, ut carissimo cuidam defuncto iusta fieri adpareat. Quattuordecim Gerarae frusta Bacchi quattuordecim indicant. Is numerus quid sibi velit.

Deinde vero Choum dies, qui mensis Anthesterionis est dies XII, caerimoniam continet, quae inextricabilis aenigmatis instar futura erat, nisi ex dogmate de morte Bacchi probabilissume explicari posset. Eo enim die inlucescente Basilinna quattuordecim mulieres Atticas, quibus Geraris (Γεραραί) nomen fuit, fiscos sacros manibus suis tangentes, iurare iubebat: castas sese et puras ab omni noxa ad sacra facienda accedere. [Demosth.] adv. Neaeram § 78: Βούλομαι δὲ ὑμῖν καὶ τὸν ἱεροκήρυκα καλέσαι, ὃς ὑπηρετεῖ τῇ τοῦ βασιλέως γυναικί, ὅταν ἐξορκοῖ τὰς γεραρὰς ἐν κανοῖς (quod optime explicat Momms. Heort. p. 359) πρὸς τῷ βωμῷ πρὶν ἅπτεσθαι τῶν ἱερῶν, ἵνα ... ἀκούσητε ... καὶ εἰδῆτε, ὡς σεμνὰ καὶ ἅγια καὶ ἀρχαῖα τὰ νόμιμα ἐστίν. Ὅρκος Γεραρῶν. Ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων καὶ ὑπ' ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ Θεόγνια (Momms. l. s. et Delphica p. 265 sq.) καὶ τὰ Ἰοβάκχεια γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια καὶ τοῖς καθήκουσι χρόνοις. Quattuordecim vero illae mulieres in totidem aris eidem deo Baccho omnes sacrificant; Pollux VIII, 108: γεραραί· αὗται ἄρρητα ἱερὰ Διονύσῳ ἔθυον μετ' ἄλλης θεωρίας (conf. Hesych. s. v. Θεωρίδες). καθίστη δὲ αὐτὰς ὁ βασιλεὺς οὔσας τεσσαρεςκαίδεκα. Hesych. s. v. Γεραραί· ... αἱ τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν λίμναις τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι, τῷ ἀριθμῷ ιδ'. Etymol. Magn. 227, 36: Γεραραὶ παρὰ Ἀθηναίοις γυναῖκές τινες ἱεραί· ἃς ὁ βασιλεὺς καθίστησιν ἰσαρίθμους τοῖς βωμοῖς διὰ τὸ γεραίρειν τὸν θεόν. Hic quattuordecim ararum numerus quid sibi vellet, notum haud dubie piis Bacchi cultoribus fuit, sed taciti sacra illa adorabant; lingua sacro terrore occulsa rem luctuosam, lacrimabilem, atrocem eloqui verebantur. Nobis hic caerimoniarum sermo satis perspicuus est. Quattuordecim sacerdotes totidem aris discretis uni deo sacrificantes quid aliud quam puerum in quattuordecim relliquias direptum praedicant? Conf. egregie disserentem A. Mommsenium, Heortol. p. 373 lin. 8.

Unum incertum esse possit: cur in frusta quattuordecim? Huius numeri caussa et ratio occulta nobis fortasse mansisset, nisi rupto silentio sacro Orphicorum garrulitas rem aperuisset. Secundum eorum opinionem Bacchi divinum corpus in septem frusta discerptum est. Orpheus apud Procl. in Tim. III, p. 184[e]: ἑπτὰ δὲ πάντα μέρη κούρου διεμοιρήσαντο, φησὶν ὁ θεολόγος περὶ τῶν Τιτάνων; conf. Lobeck, Agl. p. 557; Abelium, Orph. p. 231. Itaque septem Titanes novit Theogonia Orphica, non sex, quot habet Hesiodus; Orpheus ap. Proclum ad Tim. II p. 137[b] (Lob. Agl. p. 505): ἑπτὰ μὲν εὐειδεῖς κούρας, ἑλικώπιδας, ἁγνάς, || ἑπτὰ δὲ παῖδας ἄνακτας ἐγείνατο λαχνήεντας. Eorum nomina exhibet Proclus ad Tim. V, 295[d] (conf. Abelium p. 190): Κοῖόν τε Κρῖόν τε μέγαν Φόρκυν τε κραταιὸν [quem non habet Hesiodus Theogon. 133; cf. Schuster, de Orphicae Theogon. indole, Lips. 1869, p. 7], || καὶ Κρόνον Ὠκεανόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰάπετόν τε. His consideratis fortasse

in promptu sit cum A. Mommsenio, Heortol. p. 373 de uxoribus Titanum, quae Titanides vocantur, cogitare, quasi eae quoque nefandi sceleris participes fuerint. Sed longe probabilius est, id quod infra demonstrabitur, septem Titanum totidem filios facinoris socios fuisse, velut Perseum, Crii Titanis filium (Hesiod. Theog. 377), quem proelio Bacchum superasse constat; conf. Philochorum apud Ioann. Malalam p. 45 ed. Dindorf et Hieronymum Eusebii ed. Schoene II, p. 45; C. Mueller, Fragm. hist. gr. I p. 387 (Fragm. 22 et 23). Numerus vero septenarius fortasse occulto religionum nexu cum Osiridis fatis coniunctus est, quem simili scelere Typhon in frusta quattuordecim dissecat; Plut. de Isid. 18: Τυφῶνα... τὸ σῶμα γνωρίσαντα διελεῖν εἰς τεσσαρακαίδεκα μέρη. Inde factum ut numerus septem haud minus in rebus Bacchicis, quam in Apollineis sacris sollemnis evaderet, velut in narratione de Orpheo Eurydicam lugente, Vergil. Georg. IV, 507: *Septem illum totos perhibent ex ordine menses || rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam || Flevisse.*

13. In Choum sacris, quibus Bacchi mors celebratur, cum Bacchum defunctum nominari haud fas esset, hoc solamen ortum est, ut in Bacchi locum heroes in Fortunae palaestra dimicantes substituerentur. Tragoediae origo.

Mirum profecto est et cognitu dignum, quantopere illud μηδὲν ἄγαν antiqui homines vel in deorum immortalium cultu secuti sint. Itaque Choum et Chytrorum haec potissumum ratio fuit, ut cum pii cultores haud dubie ex intimo pectore mysterii illius de morte Bacchi sancto horrore perfusi essent, tamen verbis et voce in luctu significando abstinerent, eo ut videtur sensu ducti, tanquam rupto arcano aliquid iam de inenarrabili rei sanctitate detraheretur. Quare omnia in illis sacris solis caerimoniis certo ordine et modo peragendis indicabantur. Ex hac vero de principali argumento taciturnitate aliud quid sequitur, quod postea in eorum sacrorum progrediente historia maximi momenti fuit. Cum enim Bacchi mortui fata et nomen eloqui nefas esset, quumque, uti fit, nihilominus pii cultores summo desiderio divini illius amici, quem lugerent et plangerent, nominandi saltem et invocandi accenderentur: ea paullatim consuetudo exorta est, ut in locum Bacchi fatorum heroum clarissimorum fata et mortes substituerentur. Facillime igitur cum sacris illis, quibus mors Bacchi celebrabantur, fabulas de heroum, cum fatis adversis in fortunae palaestra certantium, interitu coalescere videmus. Atque ea haud dubie tragoediae origo fuit. Haec omnia pulcherrime illustrantur eis caerimoniis, quae Choum die sub vesperum Athenis in Limnarum regione peragebantur. Earum re vera ratio haec est, ut suppressa omni de Bacchi morte mentione herois cuiusdam nomen et facta substituantur, deinde ut nihilo minus quaecunque in caerimoniis fiunt, ea omnia a carceribus quod aiunt ad calcem ad mortem Bacchi spectent.

Earum caerimoniarum memoria servata potissumum est locis nonnullis apud Plutarchum et Athenaeum, de quibus optime dixerunt Welckerus, Nachtrag zur Aesch. Tril. p. 210; Mommsenius, Heort. p. 365; Ribbeckius, Dionysoscultus p. 18. Choum igitur die

ad vesperum vergente convivae, qui seorsum apud suam quisque mensam consederant, alto silentio poculis hauriendis operam dabant. Caussa vero eius et separationis et silentii ea narrabatur, quod Demophontis, Thesei filii, aetate, cum Athenienses sacris Bacchicis agendis occupati essent, Orestes a matris caede nondum plane purgatus Delphis Athenas venerit et, cum Demophon vel Demophontidae eum abigere nollent, ad convivium admissus quidem sit, ea vero cautione adhibita, ut silentio omnibus edicto sermonis commercio prohiberetur. Ptutarch. Quaest. convival. II, 10, 1, 4: καίτοι τίνα ἔχει διαφορὰν, κύλικα καταστήσαντα τῶν κεκλημένων ἑκάστῳ καὶ χοῦν ἐμπλησάμενον οἴνου καὶ τράπεζαν ἰδίαν, ὥσπερ οἱ Δημοφωντίδαι τῷ Ὀρέστῃ λέγονται πίνειν κελεῦσαι μὴ προσέχοντα τοῖς ἄλλοις;... πλὴν ὅτι μὴ πρόσκειται σιωπῆς ἡμῖν ἀνάγκη, καθάπερ τοῖς τὸν Ὀρέστην ξενίζουσιν. ibid. I, 1, 2, 3: εἰ μὲν οὖν οἱ τὸν Ὀρέστην ἑστιῶντες ἐν θεσμοθετείῳ πη τρώγειν καὶ πίνειν ἐμέλλομεν, ἦν τι τοῦτο τῆς ἀμαθίας οὐκ ἀτυχὲς παραμύθιον.

14. In Choum sollemnibus mensae separatae et altum convivarum silentium volgo ex Orestae matricidae adventu, quem Demophon timens diffidens exceperit, explicantur. Vera caussa Bacchi mors est.

Luculentissimus vero eius instituti, quo omnes silentes et quasi muti potarint et epulati sint propter Orestae infaustam praesentiam, testis est ipse Euripides, qui Orestam de adventu et hospitio illo Atheniensi haec praedicantem facit, Iphig. Taur. 947: ἐλθὼν δ' ἐκεῖσε, πρῶτα μέν μ' οὐδεὶς ξένων || ἑκὼν ἐδέξαθ', ὡς θεοῖς στυγούμενον· || οἳ δ' ἔσχον αἰδῶ, ξένια μονοτράπεζά μοι || παρέσχον οἴκων ὄντες ἐν ταὐτῷ στέγει, || σιγῇ δ' ἐτεκτήναντ' ἀπόφθεγκτόν μ', ὅπως || δαιτὸς γενοίμην πώματός τ' αὐτῶν δίχα, || εἰς δ' ἄγγος ἴδιον ἴσον ἅπασι βακχίου || μέτρημα πληρώσαντες εἶχον ἡδονήν. Eius consilii, quo neque aperte a convivio prohibitus, neque aperte admissus sit, rationem Orestes porro ait se tacito dolore perspexisse, verum, quia iustus ille scrupulus fuerit, nil contra muttire ausum esse. Deinde Athenienses in hospitii illius memoriam diem festum et sacra quotannis recurrentia instituisse; ibid. v. 955: κἀγὼ 'ξελέγξαι μὲν ξένους οὐκ ἠξίουν, || ἤλγουν δὲ σιγῇ κἀδόκουν οὐκ εἰδέναι, || μέγα στενάζων, οὕνεκ' ἦν μητρὸς φονεύς. || κλύω δ' Ἀθηναίοισι τἀμὰ δυστυχῆ || τελετὴν γενέσθαι, κἄτι τὸν νόμον μένειν, || χοῆρες ἄγγος Παλλάδος τιμᾶν λεών. Luctuosi igitur silentii caussa Orestes dicebatur, revera omnes Bacchi mortem lugebant. Id uberius confirmatur caerimonia paullo post eodem die Choum sub noctis initium peragi solita. Illa enim nocte, quae inter Choes et Chytros interiecta erat, Bacchus, humani generis amor et deliciae, mortuus et ad inferos digressus credebatur; Mommsen, Heort. p. 362 lin. 13; p. 372 lin. 5. Extat eximia huius ritus et cognitu dignissima enarratio apud Athenaeum ex Phanodemi Atthide sumpta, qui scriptor horum non minus ut superiorum sacrorum originem ad Demophontem regem, qui Orestam hospitio exceperit, revocat: Etenim posteaquam quod dici solet nolentes volentes Athenienses Orestam admiserint, Demophontem deorum templa claudi et unicuique seorsum poculum adponi iussisse, ei vero,

qui primus suum poculum eduxisset pro praemio placentam dari; Athenaeus X p. 437[c] (C. Mueller, Fragm. Hist. Gr. I, 368 fragm. 13): Τὴν δὲ τῶν χοῶν ἑορτὴν ... Φανόδημός φησι Δημοφῶντα τὸν βασιλέα [καταστῆσαι] βουλόμενον ὑποδέξασθαι παραγενόμενον τὸν Ὀρέστην Ἀθήναζε· πρὸς δὲ τὰ ἱερὰ οὐ θέλων αὐτὸν προσιέναι, οὐδ' ὁμόσπονδον γενέσθαι μήπω δικασθέντα, ἐκέλευσε συγκλεισθῆναι τὰ ἱερά, καὶ χόα οἴνου ἑκάστῳ παρατεθῆναι, τῷ πρώτῳ ἐκπιόντι εἰπὼν ἆθλον δοθήσεσθαι πλακοῦντα.

15. Coronarum consecrationes et libationes crepusculo noctis post Choes peractae indicio sunt, Bacchum ea nocte fato functum obisse. Orestes, propter quem haec instituta dicuntur, Bacchus est; item Orestheus ap. Paus. X, 38, 1 Locrensium.

Deinde posteaquam potandi finis factus sit, regem unumquemque e convivis eam coronam, qua inter potandum cinctus fuerit, circa poculum nectere iussisse; postremo eum instituisse, ut omnes pocula coronata manibus tenentes ad sacram Bacchi in Limnis aream accederent atque ibi, quoniam eas coronas in deorum superorum aedibus suspendere propter Orestae sceleris contagium nefas fuerit, templi Bacchici mulieri antistitae eas traderent, addito, ut vini in poculis reliquias intra illud fanum libantes effunderent. Phanodemus apud Athenaeum X, p. 437[c]: Παρήγγειλέ τε καὶ τοῦ πότου παυσαμένος τοὺς μὲν στεφάνους, οἷς ἐστεφάνωντο, πρὸς τὰ ἱερὰ μὴ τιθέναι, διὰ τὸ ὁμορόφους γενέσθαι τῷ Ὀρέστῃ, περὶ δὲ τὸν χόα τὸν ἑαυτοῦ ἕκαστον περιθεῖναι, καὶ τῇ ἱερείᾳ ἀποφέρειν τοὺς στεφάνους πρὸς τὸ ἐν Λίμναις τέμενος, ἔπειτα θύειν ἐν τῷ ἱερῷ τὰ ἐπίλοιπα. Haec omnia talia sunt, ut clarissime adpareat, his caerimoniis Baccho ut defuncto inferias sacrari et iusta fieri. Quod vero sacra illa maxume propter Orestam instituta dicuntur, tanquam propter eius scelus et contagii metum communis illa tristitia et silentium, postremo libatio piacularis deis inferis oblata introducta sint, id inde explicandum, quod, quemadmodum ostendit egregie Welckerus in Nachtrag zur Aeschyl. Trilog. p. 186 not. 4 et p. 211, Orestes ille, Anthesteriorum hospes, initio non filius clarissimus Agamemnonis fuit, sed heros quidam eponymus vindemiatorum et agricolarum, qui omnium primi Bacchi et vini cultum receperint, initio quidem nobilibus gentibus haud magnopere faventibus.

Haec cum recogito a viro eximio et ingeniosissumo subtilissume excogitata, unius etiam passus spatiolo ulterius progrediendum videtur. Orestes ille nonne ipse potius Bacchus est, cum vites in montium iugis potissumum vireant vigeantque? Orestheus apud Locros vitem primum miraculo facto accepisse atque coluisse dicitur; Paus. X, 38, 1: Ὀρεσθεῖ τῷ Δευκαλίωνος βασιλεύοντι ἐν τῇ χώρᾳ κύων ἔτεκεν ἀντὶ σκύλακος ξύλον· κατορύξαντος δὲ τοῦ Ὀρεσθέως τὸ ξύλον, ἅμα τῷ ἦρι φῦναι ἄμπελον ἀπ' αὐτοῦ λέγουσι, καὶ ἀπὸ τοῦ ξύλου τῶν ὄζων γενέσθαι τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις. Animadvertit rectissume Welckerus l. s. s. p. 186 Bacchum saepius epithetis a montium peragrandorum studio ornari; Phanocles ap. Plat. Quaest. conviv. IV, 5, 2, 9: Εἰδὼς θεῖον Ἄδωνιν ὀρειφοίτης Διόνυσος || ἥρπασεν, ἠγαθέην Κύπρον ἐποιχόμενος, et Nonnus de Aura nympha XLVIII, 847: ὡς δάμαρ οὐρεσίφοιτος ὀρεσ-

σινόμου Διονύσου. Itaque Orestes ille, Anthesteriorum hospes, initio ipse Bacchus fuit, postea obscurato eius nominis sensu, potissumum vero quia illud mortis Bacchi mysterium Athenis receptum Bacchi nomen eloqui vetabat, agricolarum et vindemiatorum ille Orestes cum celebratissumo in poesi epica Agamemnonis filio matris Furiis agitato confusus est.

16. Delphicam theologiam haud minus quam Atticam in simplissima de morte Bacchi imagine concipienda substitisse, minutias refugientem. Pindari in ea re merita.

Iam ut eorum, quae a nobis disputata sunt, summam colligamus, id quidem certo demonstrasse nobis videmur: Quemadmodum Athenis in Choum et Chytrorum sacris Bacchi morientis numen omnes pectore tantummodo et mente, non voce et verbis venerati sint, eodem modo Delphis caelestis pueri a Titanibus praematura morte extincti imaginem in universum quidem omnium cultorum animis observatam esse; in eius vero facinoris minutias altius inquirere et singula quaeque scrutari nefas priscis illis theologis visum esse. Sequitur inde ut ea, quae apud Plutarchum de "Titanicis" apud Delphos traduntur, quibus distinctior iam notio rei atrocissimae inest, temporibus aliquanto posterioribus haud dubie tribuenda sint. Plut. de Isid. 35: ὁμολογεῖ δὲ καὶ τὰ Τιτανικὰ καὶ Νυκτέλια τοῖς λεγομένοις Ὀσίριδος διασπασμοῖς καὶ τοῖς ἀναβιώσεσι καὶ παλιγγενεσίαις· ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ τὰς ταφάς, et de Esu carn. I, 7, 5: τὰ γὰρ δὴ περὶ τὸν Διόνυσον μεμυθευμένα πάθη τοῦ διαμελισμοῦ, καὶ τὰ Τιτάνων ἐπ' αὐτὸν τολμήματα γευσαμένων τοῦ φόνου κολάσεις τε τούτων καὶ κεραυνώσεις, ἀνηγμένος ἐστὶ μῦθος εἰς τὴν παλιγγενεσίαν. Haec omnia theologiae Delphicae faciem haud paullum immutatam conversamque ostendunt, qualis exorta demum est Orphicorum phantasmatis inter sacra Delphica admissis. Pindarus igitur, qui sincerissimos animorum affectus longissume ab omni fuco et artificio abesse nosset, pro viribus enisus est, ut tradita antiquitus sacra, simplicitate sua venerabilia, intemerata et integra posteris mandarentur.

SCHOLAE

SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

I. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

1. *Professores ordinarii*

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Theologiam homileticam et catecheticam docebit bis p. h. h. XI. *Privatim* II. Vaticinia Messiana V. T. interpretabitur quater p. h. h. X. III. Theologiae dogmaticae partem tertiam tradet bis p. h. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. S. Pauli ad Thessalonicenses epistolas interpretabitur semel p. h. h. XI. *Privatim* II. S. Marci Evangelium exponet ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae partem quartam enarrabit quinquies p. h. h. XII.

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Privatim* I. Theologiae dogmaticae partem primam docebit sexies p. h. h. VIII. *Privatissime et gratis* II. Exercitationes dogmaticas in seminario regio theologico moderabitur bis p. h.

CAROLVS HENRICVS KELLNER Dr. *Privatim* I. Theologiae pastoralis partem primam docebit ter p. h. dieb. Lun. Iov. Sat. h. XI. *Privatissime et gratis* II. Exercitationes catecheticas moderabitur semel p. h. d. Lun. h. V. III. Exercitationes homileticas moderabitur semel p. h. die Mercurii h. XII.

FRANCISCVS PHILIPPVS KAVLEN Dr. *Privatim* I. Introductionis in sacram scripturam partem generalem docebit quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. II. Evangelium secundum Lucam interpretabitur quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII. *Privatissime et gratis* III. In seminario regio theologico exercitationes exegeticas ad Vetus Testamentum spectantes moderari perget bis p. h.

IOANNES HENRICVS SCHROERS Dr. *Privatim* I. Historiae ecclesiasticae partem tertiam enarrabit quinquies p. h. h. IX. *Privatissime et gratis* II. In seminario regio theologico exercitationes historicas moderabitur bis p. h. h. V.

IACOBVS KIRSCHKAMP Dr. *Publice* I. Principia artis christianae tradet semel p. h. die Merc. h. XI. *Privatim* II. Theologiae moralis specialis partem priorem docebit quinquies p. h. dieb. Lun. Merc. Iov. h. X. Mart. Ven. h. XI. *Privatissime et gratis* III. In seminario regio theologico exercitationes ad theologiam moralem spectantes moderabitur bis p. h. d. Iov. h. V et VI.

2. *Professor extraordinarius*

BERNARDVS FECHTRVP Dr. *Publice* I. Encyclopaediam theologiae catholicae docebit bis p. h. h. V. *Privatim* II. Historiam literarum christianarum antiquarum enarrabit ter p. h. h. XI. *Privatissime et gratis* III. S. Cypriani libellum, qui inscribitur de Unitate catholicae ecclesiae interpretabitur semel p. h.

II. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiae aevi recentioris tradet bis p. h. d. Sat. h. IX et X. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem primam usque ad Caroli M. tempora enarrabit quinquies p. h. h. X.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD Dr. *Publice* I. Pauli apostoli ad Corinthios datam epistolam alteram bis p. h. d. Sat. horis XI et XII interpretabitur. *Privatim* II. Pauli apostoli epistolam ad Corinthios datam priorem explicabit quinquies p. h. h. XI. III. Symbolicen comparativam docebit quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.

ADOLFVS HERM. HENR. KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii regii sodalibus Veteris Testamenti capita explicanda proponet. *Privatim* II. Iobi librum interpretabitur quater p. h. h. VIII. III. Introductionem in Novum Testamentum tradet quinquies p. h. h. IX.

THEODORVS CHRISTLIEB Dr. theol et phil. *Publice* I. In seminario regio exercitationes tam homileticas quam catecheticas moderari perget d. Lun. h. III et Merc. h. V et VI. *Privatim* II. Principia theologiae practicae et artem catecheticam docebit quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX. III. Historiam cultus, quo ecclesia christiana inde ab initio usque ad nostrum usa est aevum, delineabit bis d. Mart. et Ven. h. V.

GVILELMVS FRIDERICVS BENDER Dr. *Publice* I. Seminarii regii exercitationes dogmatico-historicas suetis horis moderari perget. II. Quid in religione valeat Darwini theoria exponet semel die Merc. h. XII. *Privatim* III. Ethicen docebit quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.

LVDOVICVS LEMME Dr. *Publice* I. Evangelii Ioannis cap. XIV—XVII interpretabitur die Merc. h. XII. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae partem priorem (fidei doctrinam) docebit quinques per hebd. h. X. III. Evangelium Ioannis interpretabitur quinquies per hebd. dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI.

2. *Professores extraordiarii*

CAROLVS BENRATH Dr. *Publice* I. Minucii Felicis 'Octavium' dialogum interpretabitur semel p. h. d. Merc. h. IX. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem secundam (a Carolo Magno ad Reformationis tempora, 800—1517) narrabit quater p. h. d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. X. III. Repetitorium historiae ecclesiasticae instituet bis p. h. d. Lun. et Iov. h. V.

CAROLVS BVDDE Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes hebraicas moderabitur bis p. h. h. p. st. *Privatim* II. Librum Geneseos interpretabitur quinquies p. h. h. VIII.

3. *Privatim docens*

FRIDERICVS SCHNAPP Lic. *Gratis* I. Historiam hymnologiae Christianae enarrabit semel p. h. d. Lun. h. IV. *Privatim* II. Epistolam ad Hebraeos datam interpretabitur quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI.

III. ORDINIS IVRECONSVLTORVM

1. *Professores ordinarii*

HVGO HAELSCHNER Dr. *Privatim* I. Ius ecclesiasticum Evangelicorum ter p. h. h. VIII docebit. II. Ius naturae sive philosophiam iuris tradet quinquies p. h. h. IX.

IOANNES FRIDERICVS DE SCHVLTE Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio Exercitationes iuris ecclesiastici moderabitur die Lun. h. V—VII. *Privatim* II. Ius ecclesiasticum Catholicorum et Evangelicorum docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VIII. III. Ius Germanicum privatum iisdem diebus h. IX. tradet.

GVILELMVS ENDEMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In Seminario exercitationes iuris mercaturae et cambiorum moderabitur die Mart. h. V et VI. *Privatim* II. Processum civilem docebit quinquies dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI. III. Processum concursus semel die Sat. h. XI et XII. IV. Ius publicum Germaniae quinquies h. XII.

HERMANNVS HVEFFER Dr. *Publice* I. Iura bonorum ecclesiasticorum tam ex iuris communis quam ex recentiorum legislationum imprimis Borussiae et Francogalliae praeceptis tradet dieb. Mart. et Iov. h. V. *Privatim* II. Ius gentium quater p. h. h. XI exponet.

CONRADVS HVBERTVS HVGO LOERSCH Dr. *Publice* I. Ius maritimum tradet d. Merc. h. X. *Privatim* II. Historiam iuris et imperii Germanici docebit quinquies dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX. III. Ius mercatorium exponet quater diebus Lun. Mart Iov. Ven. h. X.

ERNESTVS ZITELMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes iuris Romani die Ven. h. V et VI moderabitur. *Privatim* II. Institutiones et historiam iuris Romani privati tradet quotidie h. XI et diebus Lun. et Iov. h. XII. III. Ius hereditarium docebit dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. XII.

2. *Professores extraordinarii*

ALFREDVS NICOLOVIVS Dr. scholas non habebit.

FRIDERICVS OETKER Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes iuris criminalis moderabitur die Iov. h. VI et VII. *Privatim* II. Ius poenale Germanicum docebit quinquies dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X. III. Processum criminalem docebit quater dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX.

ERNESTVS LANDSBERG Dr. *Publice* I. De iure romano quomodo in Germaniam receptum sit, disseret die Iov. h. VIII. *Privatim* II. Pandectarum partem priorem docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI et XII.

3. *Privatim docens*

MAXIMILIANVS RVEMELIN Dr. *Gratis* I. Ius familiare docebit diebus Lun. et Iov. h. X. *Privatim* II. Historiam processus civilis Romani tradet diebus Mart. et Ven. h. XII. III. Exercitationes iuris Romani practicas in usum tironum moderabitur die Merc. h. V et VI.

IV. ORDINIS MEDICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVSTAVVS VEIT Dr. *Publice* I. Gynaecologiae partem tradet d. Merc. h. VII. *Privatim* II. Exercitationes practicas in clinico gynaecologico moderabitur quotidie h. XII.

FRANCISCVS DE LEYDIG Dr. Lectiones non habebit.

EDVARDVS PFLVEGER Dr. *Publice* I. Seminarium physiologicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Physiologiam generalem specialisque partem primam i. e. animalem d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX. docebit. III. Cursum physiologiae chemicae d. Mart. et Ven. h. II et III habebit.

HVGO RVEHLE Dr. *Publice* I. De morbis hepatis disseret semel d. Ven. h. XII. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum medicum moderari perget quotidie h. X$^3/_4$—XII.

CAROLVS KOESTER Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pathologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Pathologiam generalem quater h. VIII, semel h. V. docebit. III. Cursum demonstrativum anatomiae pathologicae bis h. IV et V cum exercitationibus rite obducendi cadavera prout materia suppetet instituet. IV. Cursum microscopicum anatomiae pathologicae bis h. VII et VIII habebit.

THEODORVS SAEMISCH Dr. *Publice* I. De oculi morbis interioribus disseret adiunctis demonstrationibus pathologicis anatomicis d. Iov. h. II. *Privatim* II. Clinicum ophthalmiatricum moderabitur dieb. Lun. Mart. Ven. h. VIII. III. Cursum ophthalmoscopicum instituet d. Merc. h. II et III. IV. Cursum functionum oculi perturbatarum diagnosticum habebit d. Iov. h. VIII.

CAROLVS BINZ Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pharmacologicum una cum Dr. GEPPERT instituet quotidie. *Privatim* II. Pharmacologiae alteram partem una cum formulari docebit d. Lun. Mart. Merc. Ven. h. III.

ADOLPHVS LIBER BARO DE LA VALETTE ST. GEORGE Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum una cum NVSSBAVM P. E. moderari perget quotidie. *Privatim* II. Anatomiam generalem tradet d. Lun. Merc. Ven. h. VIII. III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas una cum NVSSBAVM P. E. instituet d. Mart. Iov. Sat. h. VIII. VI. Cursum microscopicum d. Merc. et Sat. h. X habebit.

FRIDERICVS TRENDELENBVRG Dr. *Publice* I. Akiurgiae capita selecta tradet semel d. Ven. h. V. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum chirurgicum moderabitur quotidie h. IX—X$^3/_4$. III. Cursum operationum chirurgicarum instituet quotidie h. VI—VIII.

2. *Professor ordinarius honorarius*

WERNERVS NASSE Dr. *Privatim* Clinicum psychiatricum moderabitur d. Merc. h. V et VI.

3. *Professores extraordinarii*

HERMANNVS SCHAAFFHAVSEN Dr. *Publice* I. Generis humani historiam primitivam tractabit d. Lun. et Iov. h. III. II. Encyclopaediam artis medicae tradet d. Mart. h. III. *Privatim* III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas physiologiam generalem illustrantes dieb. Lun. Mart. et Iov. h. XII.

IOSEPHVS DOVTRELEPONT Dr. *Publice* I. De morbis syphiliticis aget d. Iov. h. IV. *Privatim* II. Clinicum morborum cutis et syphiliticum moderabitur d. Merc. et Sat. h. XII.

CAROLVS FINKELNBVRG Dr. *Publice* I. De climatibus d. Lun. h. VI. *Privatim* II. Hygieinen dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

CAROLVS DE MOSENGEIL Dr. *Publice* I. Selecta capita therapiae chirurgicae (Heilgymnastik und Massage) tradet semel p. h. die Iov. h. III. *Privatim* II. Cursum fascias applicandi bis p. h. d. Lun. et Iov. h. II.

MAVRICIVS NVSSBAVM Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum una cum LIBERO BARONE DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. moderari perget quotidie. *Privatim* II. Demonstrationes et exercitationes microscopicas una cum LIBERO BARONE DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. instituet d. Mart. Iov. Sat. h. VIII. III. Anatomiam organorum sentiendi tradet d. Lun. et Ven. h. VII.

DITTMARVS FINKLER Dr. *Publice* I. Laboratorium clinicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Propaedeuticen clinicam dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV moderabitur.

FRIDERICVS FVCHS Dr. *Publice* I. De principiis generalibus philosophiae naturalis disseret semel h. p. i. *Privatim* II. Iatrophysices capita selecta tradet bis terve h. p. i.

HVGO RIBBERT Dr. *Publice* I. De morbis infectiosis semel h. p. st. *Privatim* II. Cursum ad introductionem in histologiam pathologicam instituet bis d. Mart. h. III—V.

HENRICVS WALB Dr. *Publice* I. De morbis narium et faucium d. Mart h. V. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum otiatricum moderari perget dieb. Merc. et Sat. h. II$^1/_2$. III. Studia in laboratorio clinico reget h. p. st.

THEODORVS RVMPF Dr. *Publice* I. De morbis nervorum semel h. p. st. *Privatim* II. Exercitationes neurologicas policlinicas d. Lun. et Iov. h. III. *Privatissime et gratis* III. Laboratorium neurologicum quotidie h. p. st.

AEMILIVS VNGAR Dr. *Publice* I. De explorationibus forensibus semel. *Privatim* II. Medicinam forensem docebit d. Lun. Mart. h. VII. III. Policlinicum infantum moderabitur bis d. Mart. et Ven. h. II. IV. De vaccinatione cum exercitationibus semel h. p. st.

4. *Privatim docentes*

IOSEPHVS KOCKS Dr. *Gratis* Cursum operationum obstetriciarum quater instituet h. p. st.

CAROLVS BVRGER Dr. *Gratis* I. De morbis narium et laryngis capita selecta tractabit semel. *Privatim* II. Cursum laryngoscopiae et rhinoscopiae habebit bis. *Privatissime et gratis* III. Policlinicum morborum narium et laryngis moderabitur quotidie.

GVILELMVS KOCHS Dr. *Gratis* I. De physiologia vocis et linguae d. Ven. h. XI. *Privatim* II. Repetitorium partium selectarum physiologiae bis h. p. st.

OSCARVS WITZEL Dr. *Gratis* I. Chirurgiae specialis partem de fracturis et luxationibus docebit d. Mart. h. VII. *Privatim* II. Cursum operationum chirurgicarum una cum TRENDELENBVRG P. O. instituet quotidie h. VI et VII. III. De cognoscendis morbis chirurgicis aget bis d. Iov. et Ven. h. VII.

DITERICVS BARFVRTH Dr. *Gratis* I. De cerebro et medulla spinali aget semel d. Iov. h. VII. *Privatim* II. Osteologiam et syndesmologiam docebit bis d. Mart. et Sat. h. VII.

GEORGIVS KRVKENBERG Dr. *Gratis* I. Pathologiam graviditatis tradet Ven. h. IV. *Privatim* II. De cognoscendis morbis gynaecologicis aget d. Merc. et Sat. h. IV.

CAROLVS BOHLAND Dr. *Gratis* Diagnosticen microscopicam et chemicam bis h. p. st.

IVLIVS GEPPERT Dr. *Gratis* I. Cursum receptandi semel. *Privatissime et gratis* II. Laboratorium pharmacologicum una cum Prof. BINZ.

V. ORDINIS PHILOSOPHORVM

1. *Professores ordinarii*

IOANNES GILDEMEISTER Dr. *Publice* I. Lectiones linguae arabicae continuabit d. Lun. Iov. h. II. *Privatim et gratis* II. Linguam persicam recentiorem docebit d. Mart. Ven. h. II. *Privatissime et gratis* III. Scriptores arabicos tractabit bis aut quater h. XI.

PETRVS KNOODT Dr. *Publice* I. Philosophiam Cartesii, Spinozae, Leibnitii critice exponet d. Mart. et Iov. h. IV. *Privatim* II. Logicam d. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.

ERWINVS NASSE Dr. *Publice* I. De portoriis semel h. XI. *Privatim* II. De reditibus et exitibus publicis quinquies aget p. h. h. X.

RVDOLPHVS CLAVSIVS Dr. *Publice* I. De functione potentiali disseret d. Iov. h. VIII. *Privatim* II. Physices experimentalis partem dimidiam: physicen generalem et caloris theoriam tradet quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X. III. Electricitatis theoriam mathematice tractabit ter d. Lun. Mart. Ven. h. VIII.

FRANCISCVS BVECHELER Dr. *Publice* I. In seminario philolog. cum sodalibus ordinariis Aeschyli Supplices leget d. Mart. h. V et VI. *Privatim* II. De lingua latina disseret d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI.

HERMANNVS VSENER Dr. *Publice* I. Seminarii philol. sodalibus extraordinariis Aristophanis

Vespas et Sallusti Historiarum eclogas tractandas proponet d. Merc. et Iov. h. v. *Privatim* II. Platonis Convivium praeleget quinis p. h. horis, d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII.

RVDOLPHVS LIPSCHITZ Dr. *Publice* I. Seminarii mathematici sodalium tam ordinariorum quam extraordinariorum exercitationes una cum CL. KORTVM moderabitur d. Merc. et Sat. h. XI. *Privatim* II. Calculi differentialis et integralis partem primam docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v. III. Aequationum differentialium partialium theoriam exponet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV.

AVGVSTVS KEKVLÉ Dr. *Publice* I. Chemiae organicae capita selecta tractabit semel d. Ven. h. v. *Privatim* II. Chemiae experimentatae partem I, i. e. chemiam anorganicam, tradet quinquies d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII. III. Exercitationes chemicas ad usum tironum instituet d. Lun. h. III—VI. IV. Exercitationes practicas in laboratorio chemico moderabitur una cum WALLACH P. E. quotidie ab h. VIII ad h. v.

IVERGEN BONA MEYER Dr. *Publice* I. Problemata logices fundamentalia exponet una cum exercitationibus logicis bis dieb. Merc. et Ven. h. VIII. *Privatim* II. Historiam paedagogices tradet quater dieb. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. IX.

CAROLVS IVSTI Dr. *Publice* I. Exercitationes historicas instituet, Leonardi de pictura tractatum explicandum proponens semel d. Lun. h. VI. *Privatim* II. Historiam picturae et sculpturae Italicae enarrabit ter dieb. Lun. Mart. Merc. h. XII.

IOSEPHVS NEVHAEVSER Dr. *Publice* I. De Aristotelis ‘Organo’ disputabit et selecta eius capita explicabit bis d. Mart. et Ven. h. VII. *Privatim* II. Logicen docebit quinquies primis hebdomadis dieb. h. VIII.

HENRICVS NISSEN Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus Caesaris de bello Gallico commentarios explicandos proponet d. Lun. h. VI et VII. *Privatim* II. Historiam Romanam inde a bellis Punicis usque ad Divi Augusti excessum enarrabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

EDVARDVS LVEBBERT Dr. *Publice* I. In Seminario regio philologorum sodalibus ordinariis Ciceronis Orationes Verrinas commentationibus illustrandas proponet et disputationibus praeerit die Ven. h. v et VI. *Privatim* II. Introductione praemissa Pindari carmina selecta interpretabitur quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. h. IV et Sat. h. XI.

HVGO LASPEYRES Dr. *Publice* I. Demonstrationes mineralogicas et geologicas vel in museo mineralogico vel in montibus, qui Bonnae urbi circumiacent, habebit semel Lun. h. IV. *Privatim* II. Mineralogiam docebit d. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. IX. III. Exercitationes crystallographicas moderabitur d. Merc. ab h. X ad I. *Privatissime* IV. Mineralogiae et petrographiae studia singulorum moderari perget d. Lun. Mart. Iov. Ven. ab h. IX—I.

EDVARDVS STRASBVRGER Dr. *Publice* I. Historiam naturalem Bacteriarum tradet semel d. Sat. h. XI. *Privatim* II. Botanicen generalem docebit quinquies d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI. III. Exercitationes botanicas microscopicas instituet d. Mart. et Ven. ab h. II ad h. IV. IV. Quaestiones de rebus botanicis instituendas moderabitur quotidie ab h. VIII ad h. v.

GERARDVS VOM RATH Dr. *Publice* I. Americae septentrionalis geologiam docebit semel d. Mart. h. VI. II. De phaenomenis vulcanicis disserere perget semel d. Ven. h. VI.

RENARDVS KEKVLÉ Dr. *Publice* I. Exercitationes archaeologicas moderari perget d. Merc. h. x. *Privatim* II. Artis antiquae opera selecta quae heroum fabulas illustrant explanabit d. Lun. Mart. Iov. h. x. *Privatissime et gratis* III. Capita selecta historiae artis antiquae tractabit d. Ven. h. x.

CAROLVS MENZEL Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus scriptores Saec. xii et xiii tractandos proponet d. Iov. h. vi et vii. *Privatim* II. De rê diplomatica imperatorum ac regum Germanorum et pontificum Romanorum disseret bis d. Mart. et Ven. h. iii. III. Exercitationes palaeographicas moderabitur bis d. Lun. et Iov. h. iii.

MAVRITIVS RITTER Dr. *Publice* I. In seminario historico acta Wallensteiniana tractabit d. Ven. h. vi. *Privatim* II. Historiam Europae ab a. 1660 usque ad a. 1789 enarrabit, dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v.

GVILELMVS WILMANNS Dr. *Publice* I. De capitibus quibusdam historiae poëseos theodiscae disseret d. Merc. h. xii. (Exercitationes seminarii theodisci Prof. FRANCK moderabitur). *Privatim* II. Gudrun carmen epicum interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix. III. Grammaticae theodiscae partem priorem (de vocibus) docebit d. Lun. Mart. Iov. h. x.

THEODORVS AVFRECHT Dr. *Publice* I. Chrestomathiam Vedicam Hillebrandti interpretandam proponet dieb. Mart. et Ven. h. iii. *Privatim* II. Primum Pantshatantrac librum explicabit dieb. Lun. Merc. Iov. h. iv. *Privatissime et gratis* III. Laghukaumudim grammaticam explanabit hora commoda.

EDVARDVS SCHOENFELD Dr. *Publice* I. De locis stellarum fixarum computandis aget bis p. h. d. Merc. Sat. h. x. *Privatim* II. Astronomiae sphaericae partem practicam docebit quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. x. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes astronomicas practicas moderabitur horis commodis.

